

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Dissertationem De Coeliaca Passione, Gratiissimae  
Facultatis Medicae Indultu**

**Kummer, Johann Gabriel**

**Basileae, 1709**

Thesis XIII., XIV., XV.

[urn:nbn:de:bsz:31-41461](#)

stitionem, curas & solicitudines, item potum paucum, mustum  
recens, vinum minus probè defecatum, potum aquæ palu-  
dosum, spirituum ardentium crebram ingurgitationem.

### T H E S I S XIII.

Affectus nostri differentias quod concernit, desumimus  
eas vel à genere, ratione cuius vel multum vel parum chyli,  
cum alvinis fæcibus dejicitur. Vel à materiâ quæ excernitur, &  
est chylus nunc simplex, nunc mixtus vel alio modo se habens,  
Vel à causis, quæ nunc radicata est, ceu supra innuimus, nunc  
mitior, uti cum ex ingestionē nimiā fructuum horariorum  
malum hoc subito infestat. Vel à duratione, cum alia diu, alia  
brevi temporis spatio affigit.

### T H E S I S XIV.

Signa diagnostica coeliacæ passionis, sequentia sunt:  
tales appetitu fruuntur, more sanorum, in primis ab initio  
morbi, & nisi Ventriculus per συμπάθειαν sit coaffectus,  
de die ter vel quater dejiciunt, excreta nunc pultacea sunt,  
nunc magis solidiuscula, nunc cinericei nunc gryseicoloris,  
vel albicantia aut etiam confusa, quandoque fæces solidæ  
sunt, sed chyli particulis hic illic innatantibus perspersæ  
progressu temporis virium sentitur jaætura, vertigo, cor-  
poris emaciatio, inde pallidi redduntur, & imbecilles, neque  
munera sua peragere possunt, sicuti robusti, & fani solent,  
ob succi alimentaris & hinc etiam spirituum defectum in-  
gravescensem.

### T H E S I S XV.

Signa causarum, utrum ab assumptis seu alimentis  
seu medicamentis hic affectus fuerit productus, aut num  
alius morbus præcesserit nec ne? partim ab ægro, partim ab  
iis qui præsto sunt sciscitari oportet. Utrum autem à di-  
stributione chyli in vasa laætea laæsa, & hinc obstructione vel  
occlusione totali vasculorum laætorum aliquot, an vero  
à secretione chyli à materiâ fæculentâ laæsa malum proce-  
dat, inde dignoscimus: in posteriori casu excrementa pul-

B

tacea

tacea magis sunt & indigesta , ob bilis & lymphæ pancreaticæ atque intestinalis inertiam ; sin autem obstrunctiones in panereate vel intestinalibus glandulis non veniunt accusandæ , sed solius bilis defectus , grysea magis sunt vel albicantia , usque tamen consistentiam aliquam habent : in priori verò casu , ubi vasculorum lacteorum obstructio vel coalitio in causâ præcipue est , neque coloris quem fæces habere debent , neque etiam consistentia ratione , multum desiderari potest , sed solæ chylosæ guttulae superficiem ipsarum comitantes chyli perfectam distributionem sufflaminatam esse demonstrant.

#### THEISIS XVI.

Signa , quibus à cognatis affectibus differt , quod concernit , differt symptoma hoc i. à. Lienteriâ , quod in hac assumta non mutata , sed cruda & prout erant ingesta , protenus per alvum excernuntur 2. à Diarrhoeâ proprie sic dictâ , quod in hac omnis generis humores , præter alimentum & sanguinem , sine præviâ exulceratione tamen intestinalium deiiciuntur 3. à Fluxu Hepatico , quod in isto sanguis loturæ carnium similis , plus minus aquosus , per anum frequenter excernitur .

#### THEISIS XVII.

Prognosir quod attinet , dicimus affectum hunc , non prorsus contemendum esse , in primis in pertinaci dictarum partium obstructione , cum enim chyli secretio & anadosis , tum pro Massa Humoralis in suâ dulcedine conservatione , tum pro corporis nutritione , & etiam fluidi animalis restauratione necessaria sit , satis utique patescit , ni affectus hic tempestivè curetur , humores fatiscere spiritus absumi , totumque corpus leatâ tabe consumi necesse habere . Appetitus integer , sitis absentia , urina naturalis similis , somnus placidus , atrophia nondum summa , & viarium robur nondum pessundatum , uteunque morbus diuturnior fuerit , felicem tamen successum spondent , rite adhibitis congruis medicamentis & diætâ . Alvi fluxus chylosus ,